
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

RVFI FESTI AVIENI
PROGNOSTICA


EDIDIT

ALFREDVS BREYSIG.

EX PROGRAMMATE GYMNASII ERFURTENSIS
A. MDCCCLXXXII.

LIPSIAE
TYPIS J. B. HIRSCHFELDI
MDCCCLXXXII.

1882. Progr. Nr. 205.


COLLEGE
APR 26 1899
LIBRARY.

Rufius Festus Auienus num Arateorum partem extremam, quae uulgo inscribitur Prognostica, ipse sic inscripserit, non satis mihi constat. neque enim ullum illius partis indicem fuisse aut librorum manu scriptorum principisue, quae dicitur, editionis fide aut ueteris ullius scriptoris, quod sciam, testimonio comprobatur. etenim in codice Vindobonensi, quem horum Arateorum habemus uetustissimum, et in prima illa editione, quae libri manu scripti fere instar est, Phaenomena excipiuntur Prognosticis nulla inscriptione interiecta; in Ambrosiano autem libro cum Phaenomenorum extremi tum primi Prognosticorum uersus omissi sunt. Prognosticorum uero inscriptionem, in quam primum incidi in editione Moreliana, editor nescio quis — nisi forte ipse fuit Guilelmus Morelius — a Ciceronis Arateis ad Auieni poema uidetur transtulisse. ac ne Aratum quidem in altera parte libri sui quicquam inscripsisse unoque *Φαινομένων* indice usum esse constat.*) Auienus igitur unum indicem toti poemati fecisse suo iure satis habuit. neque uero qualis index ille fuerit pro certo affirmare licet, tanta codicum discrepantia est. inscribitur enim Vindobonensium liber: *Rufi . Festi . Arati . incipit liber primus de positione syderum*; — inscribitur Mediolanensium codex Ambrosianus: *Ruffi Festi Arati Liber primus de positione syderum*, eidem subscriptum est: *Ruffi Festi Aratus explicit . Incipit eiusdem orbis terrę*. at liber Gudianus 132 pro inscriptione habet: *Rufi Festi Avieni viri clari Arati Phenomena.* editio uero princeps, cuius testimonium reliquis in rebus haud spernendum est, sibi ipsa non constat, nam et inscribitur: *Rufi Feſti auienii . VC . arati phaenomenon*

*) Qua de re disputauit Guilelmus Grauert in musei Rhenani iurisprud. philol. etc. uolumine I fasc. IV p. 336 partis philologicae.

Liber Incipit et infra habet haec: RVFI FESTI ARATVS EXPLICIT INCIPIT EIVSDEM ORBIS TERRAE FELIX. quae inscriptiones subscriptionesque, cum recentiorem aetatem sapiant, difficile dictu est quid ueri habeant. ac *librum* illum *primum de positione siderum* ad librarium aliquem referre auctorem nemo, opinor, dubitabit.*) quod si concesseris, triplex restat inscriptio: Aratus aut Arati Phaenomena aut Arati Phaenomenon liber.**) quod autem his tribus inscriptionibus est commune, id certe ex archetypo deductum uidetur. quantum igitur ego coniectura assequor, Auienus indicem libro suo fecit *Arati*. huius autem Arati partem alteram, quae, ut supra diximus, uulgo inscribi solet Prognostica, cum spatio huiuscemodi commentatiunculae concesso conuenire uideatur, tamquam specimen totius poematis recognoscendi hoc loco sum editurus. sed antequam ipsa uerba Auieni affero codicum, quibus nemo editor illius usus est, auctoritate meaque, quantulacumque est, opera emendata, primum dicam de instrumento, quod uocant, critico, deinde de eis locis, qui emendatione egere uidentur.

Ac primum quidem olim tribus libris manu scriptis Arateorum uiros doctos usos esse Io. Christianus Wernsdorfius (Poet. Lat. min. V 2 p. 691) testatur. quorum unum Abrahami Ortelii fuisse, alterum Ambrosianum uel Mediolanensem a Nicolao Heinsio 'allegatum', tertium Vossianum ab Ioanne Schradero in notis laudatum ille dicit eundemque in bibliotheca Leidensi reperiri posse suspicatur. neque uero illic Vossii liber hodie extat, qua de re me docuit Guilelmus Du Rieu, uir doctissimus atque humanissimus, et codex Ortelianus ubi nunc lateat ignoratur. at liber Ambrosianus hodie quoque Mediolani adseruatur. praeter hunc notus est unus codex

---

*) Grammatici enim ueteres Phaenomena Arati in tres quattuorue partes aut quinque, si modo Phaenomena idem sunt atque *Ἀστρικά*, diuidere solebant. uelut is, qui uitam Arati in codice Matritensi seruatam scripsit, *ἔστι δὲ τριχῶς*, inquit, *Φαινομένων αὐτοῦ πραγματεία· καταστέρωσις, καὶ συνανατελλόντων καὶ συνδυνόντων, καὶ προγνώσεις διὰ σημείων* (cf. Buhlii Arat. II p. 443, Grauert l. l. p. 338 sq., Augustus Boeckh in eo libello, quem indici lectionum uniuersit. litterar. Berolinensis aestate anni MDCCCXXVIII praemisit, p. 5. (Kl. ges. Schrift. IV p. 306); I. Frey in noui musei Rhenani uolumine XIII p. 134). atque ab aliis liber primus inscribitur *ἀστροθεσία*, quam librarii illi interpretati sunt *positionem siderum*.

**) Cf. A. Holder apud Paulyum in encyclopaediae uol. I p. 2150 alterius editionis, qui utrum Auienus *Arati Phaenomenon libri* an *Arati* indicem poemati fecerit addubitat.

Vindobonensis. nam Gudiano illo libro Guelferbytanorum, cuius antea mentionem feci, praeter inscriptionem et lemmata nihil continetur, qua de re dixi in Hermae uolumine XI p. 251 sqq.

Sed illorum duorum codicum antiquior est Vindobonensis, 'membranaceus, saeculi X, foliorum 22, in folio a diuersis manibus binis columnis exaratus' (cf. Endlicher, catalog. phil. p. 54). is finitur Prognosticorum uersu 255. quem librum, etiamsi ex mutilo exemplo descriptus compluribusque uersibus orbatus sit, ad similitudinem archetypi propius accedere lectionum et praestantia et antiquitas testatur. nam etsi negari non potest, ne hunc quidem librum usitatis librariorum erroribus carere, saepe tamen ex ipsis eius mendis uestigia uerae lectionis facile reperiuntur. *V*

Ac codex Ambrosianus D 52 inf. est papyraceus saeculi XV, quem accuratissime contulit Gustauus Loewe, uir doctissimus atque humanissimus (cf. Herm. XV p. 180 sq. XVI p. 136). eiusdem libri scriptor secutus est exemplum mutilum neque tamen idem, ex quo descriptus erat Vindobonensis, sed multo recentius. nam quales lectiones sunt *Iuppiter sucus adque autumnus genetrix umerus haut conitor,* tales seruauit Vindobonensis, quarum loco habet Ambrosianus *Iupiter succus atque auctumnus genitrix humerus haud conitor.* iam cum in utroque codice et Phaen. u. 324, 713, 1013, 1014 Progn. u. 84 desint et uoces quaedam uelut Phaen. 77 *aethram* 140 *ambas* 178 *iuuentae* omittantur, dubitare uix quisquam poterit, quin uterque liber eandem indicet originem, nisi quod Vindobonensis ex libro satis uetusto descriptus uidetur, Ambrosianus autem ex recentiore exemplari eiusdem generis manauit. quod in Ambrosiano etiam Phaen. u. 1300, 1323, 1324, 1325, Progn. nouem primi uersus desiderantur, uersus 1300 librarii neglegentia uidetur excidisse, ceteros autem, quos modo commemorauimus, uersus, quamuis insignis eorum esset deformitas, exemplar antiquum non potest non praebuisse, aliter is, qui Ambrosianum exarauit, spatia undecim duodecimue linearum uacua eo loco non reliquisset. neque raro factum est, ut librarius ille loco uacuo relicto uoces quasdam omitteret. Prognosticorum quidem initio decimum et tres ei proximos uersus ita tradidit: *A*

denique cum toto
integer
effluxis
pleni cum rursus egena.


Longe diuersa ratio est codicis Vindobonensis, qui non solum illis, quos supra enumerauimus, caret uersibus, sed etiam extremis Prognosticis inde a uersu 256 usque ad uersum 553 orbatus est. eos tamen uersus ui quadam et casu, non librariorum socordia deperiisse manifestum est.

e Iam uero in membranis ipsis exemplar illud, quod Georgius Valla Placentinus Venetiis anno MCCCCLXXXVIII excudendum curauit, numerari potest. ille enim, ut Mauricii Hauptii uerbis utar, 'ea quae uetus exemplar ei praebuerat, satis adcurate repetiisse uidetur' (cf. Herm. IV p. 331). erat illud plenum atque integrum. quod cum a ceteris libris ita differat, ut Aratum Auieni incolumem et integrum seruauerit, atque idcirco alteri familiae codicum adtribuendum sit, in eo tamen cum eis consentit, quod manus emendatrices non passum est.*)

Est autem altera Venetorum editio, quam Aldus Manutius anno MCCCCXCVIIII parauit. ea continentur omnes uersus praeter illum unum, qui est in *VAe* post Prognosticorum uersum 153, de quo dixi in Hermae uolumine XIII p. 363 sq. longe uero aliud spectaculum rerum hic liber praebet: permulti librariorum errores sublati, pleraeque lectiones primo aspectu blandae, etiam in locis foede corruptis, sententiae distinctae, denique exemplar utilissimum et quo qui cursim legunt haud scio an delectentur. quodsi naturam et condicionem huius editionis accuratius spectaueris, eam ab eo, quod modo descripsimus, genere membranarum ualde abhorrere inuenias. sunt scripturae plurimae, quas a sciolis librariis excogitatas esse apparet, uelut Phaen. u. 1 *inceptor* 80 *caret* 171 *ortus* 250 *mercatio uelis* 402 *oceanum* 430 *aequa resurget* 447 *numinis* 473 *cornu* 475 *renectit* 666 *focae* 721 *suscipit* 744 *fulcẽt* 776 *multi* 838 *uni* 1025 *Titaneo* 1099 *nulli concedit syderis ortu* 1125 *producens* 1173 *neque obduri* 1246 *sydera* 1298 *Nẽpe hedi euadit* Progn. u. 25 *iugales* 101 *agris* 105 *furor illisos* 111 *iugales* 141 *sit* 205 (204) *orbis* 240 (239) *atra* 344 (343) *ingens* 499 (498) *altam* 534 (533) *multam*. quae cum ita sint, Aldinus liber ex eo exemplo uidetur descriptus esse, quod alteri familiae codicum, quam supra tetigi, adtribuatur necesse sit. quamuis autem cum

*) Cum dies diem doceat, non mirum est, quod de editione principe nunc aliter iudico atque olim. quam ob rem quae dixi in Hermae uol. XV p. 180: 'und diejenige Handschrift — der die editio princeps folgt', ea delenda sunt.

Vindobonensi et Ambrosiano discrepet, hoc Aldina cum illis commune habet, quod Phaen. u. 270 et 570 mutili sunt et u. 675 caesura caret, eisdem autem mendis laborat prior editio Venetorum. hinc efficitur, ut saeculo decimo et fuerit apographon illis mendis affectum et ab eo ipso nostri libri orti sint omnes. nam ex eo descriptum est exemplum illud plenum, ad quod utraque Venetorum editio referenda est; ex eodem deductum est alterum exemplum idque mutilum, unde nati sunt Vindobonensis et Ambrosianus. quantum autem distet Ambrosianus a Vindobonensi atque Aldina ab editione principe, ex eis, quae antea exposuimus, intellegitur. et sane ut inter antiquum illud exemplum mutilum et Ambrosianum, ita inter plenum exemplar et editionem Aldinam alia exemplaria complura quasi gradus interiecta fuisse uidentur. proinde hoc tibi finge schema:



His igitur libris memoria poematis ad nostram aetatem pro- L
pagata est, praeterquam quod pauci uersus illius inueniuntur in Germanici codice Leidensi, qui signatur Vossianus Latin. Q. 79, quos Guilelmus Du Rieu, qua est humanitate ac liberalitate, collatos mecum communicauit. sunt autem praeter uersus Phaenomenorum, quos enumeraui in Germanici Arateis p. VII, Prognosticorum u. 416 (415)—437 (436), 444 (443), 445 (444), 448 (447), 545 (544), 552 (551), 553 (552). quos quidem uersus non neglegendos esse testantur eae lectiones, quas ille liber praebet ad Progn. u. 416 (*tum*), 418 (*ouantes*), 429 (*stellarum*), 432 (*suspexeris*).

Quae cum ita sint, libri Vindobonensis auctoritatem imprimis sequendam esse uix est quod dicam. Ambrosianum autem et utramque editionem Venetorum secundo loco ad emendandum poema adhibenda esse existimo.

De reliquis quidem editionibus satis est pauca dicere. nam ex eis praeter Morelianam una Grotii editio laude digna est. omnes autem pendent ab Aldina, uulgatae lectionis parente. itaque eas lectiones, quae uel in Aldina uel in recentiorum aliqua editione
inueniuntur, uno signo (*v*) notasse satis habui. et Guilelmus More- *v*

lius, qui Auieni Aratea una cum Arato Parisiis anno MDLVIIII primum edidit, complura librariorum menda feliciter sustulit. etiam multo melius meruit de Auieno Hugeianus Grotius, in quo uiro, quamquam non omnibus in rebus ei adsentiri possumus, etiam hic et acumen ingenii et scientiam litterarum et, quam hodie sunt qui non flocci faciendam esse putent, cognitionem rerum iure admiramur. post illum qui Aratea ediderunt, Petrus Melian et Ioannes Buhle, quam male de Auieno meruissent, cum iam alibi (Herm. XVI p. 135 n. 100 et XII p. 159 n. 30) satis ostendisse mihi uidear, hoc loco exponere omitto. neque tamen pauca ad Aratea emendanda contulit Ioannes Schraderus, cuius commentarius extat Berolini in bibliotheca regia (MS. Diez. B. Sant. 94). Schraderi uero emendationes cum a coniecturis in eodem libro aliena manu adscriptis (cf. Herm. XV p. 183 n. 54) discernere nequirem, ita adtuli ut eis *commentarium* potius *Berolinensem* adderem quam illius uiri doctissimi nomen. neque minus Auieno profuit Ioannes C. Schaubach, cuius Aratea adseruantur in bibliotheca uniuersitatis litterariae Lipsiensis (cf. Germanici Aratea p. XXVII). is, quamquam librorum manu scriptorum ope destitutus erat, tamen aliquot locos poematis optime emendauit atque etiam plures, ut erat homo rerum caelestium peritissimus, docte enarrauit, ut, si cum maxime uoluerat librum suum publici iuris fecisset, studia Arateorum Ciceronis Germanici Auieni magnopere adiuuare atque augere potuerit.

His igitur adiumentis usus extremam Arati partem ita edidi, ut grauissimas tantum codicum lectiones adnotarem, nam quales sunt *formae* et *forme, sidera* et *sydera, caelum* et *coelum* aliae huius generis, tales adferre omisi, neque tamen, ubi in neutro libro uera orthographia seruata est, eas res adnotare neglexi. cum uero in codice Vindobonensi omnibus fere locis *adque* et *sollertem,* non *atque* aut *solertem* scripta esse uidissem, omnibus locis sic scribendum esse ratus *adque* et *sollertem* posui. atque cruces illas libri Ambrosiani, quarum mentionem feci in Herm. uol. XV p. 180 n. 50, speciminis loco usque ad uersum 154 addidi, postea silentio praeterii. item quot litterarum spatium uacuum esset relictum, interdum aut disertis uerbis dixi uelut ad u. 13 aut litteras, quae exciderunt, punctis significaui (cf. ad u. 196 al.). at multo rarius editionum lectiones adscripsi. ubi autem uulgatam lectionem praebueram, ibidem editionem principem in partem uocaui. sed dum

plagulas impressas perlustro, has illius editionis lectiones addendas esse uidi: 293 *De feri* 317 *inter ftans.* ex Schraderi uero commentario et Schaubachii Arateis eas tantum adtuli coniecturas, quas in poema ipsum recipiendas esse duxeram.

Sequitur ut dicam de eis Prognosticorum locis, qui emendatione egere uidentur. qui quidem perpauci sunt, nam qui foedissime corrupti ac deprauati mihi uisi essent, eis iam antea mederi conatus sum.*)

---

*) Ad Phaenomena cum alia tum ea pertinent, quae in Hermae uol. XI p. 247 sqq. dixi. quibus de rebus cum Aemilius Baehrens in annalibus Bursiani sententiam tulisset iniquissimam, a Bursiano, uiro doctissimo, quae eius est humanitas animi et iudicii integritas, facile impetraui, ut, quae Baehrensii sententiae opponenda esse censuissem, in acta, quae annalibus illis addi solent, recipere maturaret. quo facto postquam et Baehrensius in ipsis actis in sua se sententia perseuerare dixit neque me de mea mouit, hoc ego loco, quae ille contra disputauit, refutanda esse existimo. sed ne qui haec legunt, quid tandem in controuersiam uocatum esset, ignorarent, defensionem meam una cum exceptione illius infra posui.

Quae ipse dixi in actis Bursiani (Anzeige-Blatt zum Jahresbericht über die Fortschritte der classischen Alterthumswissenschaft 1881 No. 2 p. 5 sq.), haec sunt:

ZUR ABWEHR.

Im sechsten Bande dieser Zeitschrift, Jahrgang IV, Abth. 2, S. 157, sagt Herr E. Baehrens über den ersten Artikel meiner Beiträge zu Avienus (Hermes XI, S. 247—254): „Auch hier ist zu bedauern die ungenügende Bekanntschaft mit dem handschriftlichen Materiale (nur der eine Vindobonensis ist dem Verfasser zugänglich), in Folge dessen auch die Besprechung corrupter Stellen mangelhaft ist". Hierauf bemerkt er, dass Phaen. 264 ff. olli, micat, instar, amictus, rubore handschriftlich überliefert sei und bespricht dann diese Stelle, wobei er wieder eine Lesart anführt und als handschriftlich überliefert bezeichnet, ohne seine Quelle zu nennen.

Der Artikel aber, über den so der Stab gebrochen wird, besteht aus zwölf Bemerkungen, welche vorwiegend apologetischer Natur sind: es werden meist auf Grund des Vindobonensis willkürliche Aenderungen des Textes zurückgewiesen, nur einmal (Nr. 12) habe ich Emendationsversuche gemacht. Um so mehr musste es mich überraschen, dass eine Handschrift eine Anzahl völlig sicherer und ausreichender Lesarten des Vindobonensis umstossen könnte. Denn nur in diesem Falle hätte Herr Baehrens gegründeten Anlass gehabt, „die ungenügende Bekanntschaft mit dem handschriftlichen Materiale" zu bedauern und „in Folge dessen die Besprechung corrupter Stellen mangelhaft" zu nennen.

Die ungenannte handschriftliche Quelle des Herrn Baehrens ist nun aber der Ambrosianus D. 52 inf. und aus einer sorgfältigen Collation dieser

Atque Prognosticorum uersum 13 sqq. sic scripsi:

pleni cum rursus egena
oris eat, tanto procedens lumine formae,
inserit aeriis quantum dea nubibus *ignis*,
esse senescentis sibimet dispendia mensis
illa docet etc.

nam cum u. 15 uterque codex praebeat *ignes*, in ea uoce *ignis* latere et quod Grotius coniecit *ignem* reiciendum esse censeo.

Handschrift habe ich ersehen, dass das oben angeführte Urtheil des Herrn Baehrens in allen Punkten hinfällig ist. Erstens nämlich stimmt der Ambrosianus an mehreren der von mir besprochenen Stellen mit dem Vindobonensis überein. Dies ist der Fall Phaen. 30 (Nr. 1 der Bemerkungen im Hermes), wo der Vindobonensis prigra inclinatio nodi und der Ambrosianus pigra inclinatio nodi hat, was doch wohl dasselbe sagt. Phaen. 22 (Nr. 2), 93 (Nr. 3), 141 (Nr. 5), 248 und 250 (Nr. 8), 254 (Nr. 9) und 1 (Nr. 10) haben beide Handschriften dieselbe Lesart: perrupit, nec minus, ut, spiram und metatio chelis, utque, incentor. Dies sind sieben von den zwölf Nummern im Hermes! Ferner hat der Ambrosianus Phaen. 132 infido (Nr. 4), eine unzweifelhaft irrige Ueberlieferung. Sodann muss Phaen. 187 f. (Nr. 6) die Lesart des Vindobonensis (aethrae inditus) der des Ambrosianus (aethrae inclytus) vorgezogen werden, weil es der Gedanke verlangt; denn Avien will hier sagen, dass Hercules jetzt (tum) in den Himmel gelangte, und nicht, dass er damals schon durch sein Sternbild berühmt war. In der siebenten Bemerkung (Phaen. 223) habe ich die Lesart des Vindobonensis (agnato) unerwähnt gelassen, weil sie bereits emendiert ist; aber auch hier hat der Ambrosianus nichts Anderes als die Wiener Handschrift. Ebensowenig wird für die Frage nach der Eintheilung des Gedichtes (Nr. 11) durch den Ambrosianus etwas gewonnen, da in ihm der Schluss der Phaenomena und der Anfang der Prognostica fehlt. Wenn schliesslich Phaen. 264 ff. (Nr. 12) durch den Ambrosianus mehrere „Abschreiberversehen" verbessert werden, so sind doch in meiner Besprechung der Stelle diese Schreibfehler erstens nicht unverbessert geblieben und zweitens gerade so verbessert worden, wie der Ambrosianus es verlangt. Dazu kommt, dass V. 266 der Ambrosianus die corrupte Ueberlieferung des Vindobonensis nicht durch eine befriedigende Lesart, sondern durch eine andere Corruptel und eine Lücke ersetzt. Meine Behandlung der Stelle mag Herrn Baehrens immerhin als wenig glücklich erscheinen, aber dass ihre Besprechung durch die Nichtbenutzung des Ambrosianus mangelhaft ist, hat er damit nicht bewiesen.

Hieraus ergiebt sich, wie ich glaube, deutlich genug, dass die erwähnten Bemerkungen im Hermes nicht nur ohne Nachtheil für ihren wissenschaftlichen Werth des Ambrosianus entrathen, sondern auch mit Benutzung dieser Handschrift zu keinem anderen Resultat führen konnten. Da die Art, wie Herr Baehrens in diesem Fall Kritik geübt hat, sich

Iam uero quae Aratus de sole dixit:

πολὺς δ' ὅτε οἱ περὶ κύκλος
οἷον τηκομένῳ ἐναλίγκιος εὐρύνηται
πρῶτον ἀνερχομένοιο καὶ ἂψ ἐπὶ μεῖον ἴησιν,
εὔδιός κε φέροιτο,

ea Auienum ita uertisse existimo:

at matutini si Phoebum litoris acta
maiorem solito produxerit adque per aethram
marcenti similis defluxerit extimus orbis
adque dehinc scandens minuat iubar igniferum sol,
pura serena aderunt.

---

selber richtet, begnüge ich mich damit, sein Urtheil über jene Bemerkungen als völlig unbegründet zurückzuweisen.

Ad haec ille eodem, quem supra indicaui, loco sic respondit:

ENTGEGNUNG.

Hierauf hat der Referent einfach zu bemerken, dass nur die eine Stelle, zu welcher neue Vorschläge gemacht wurden, Phaen. 264—272, von ihm in Betracht gezogen werden konnte; und hier wurde alles Gerede über verschiedene Lesarten des Vindobonensis überflüssig für den, welcher den Ambrosianus kannte, welcher in jenen neun Versen an fünf Stellen richtigeres als der Vindobonensis bietet. Und somit bleibt „die Besprechung corrupter Stellen" im Avienus ohne Kenntniss anderer Handschriften als des Vindobonensis „mangelhaft".

Ac primum quidem, quare ille, cum censorem ageret, unum illum locum a se iudicari posse dixerit, non uideo. nam, quae annalium Bursiani ratio est (cf. praef. I p. 1), quicquid ego dixeram, ille iudicare neque artioribus quam par erat finibus iudicium suum circumscribere debuit. quod uero dixit, qui librum Ambrosianum nouisset, eum lectionibus Vindobonensibus adeo carere potuisse, ut de eis dicere neglegeret, non sine causa ualde miror. nam ut ego, cum maxime illas duodecim obseruationes scripsi, codicem Ambrosianum nouerim, tamen de lectionibus alterius codicis etiam tum mihi dicendum fuit, praesertim cum u. 266 in Ambrosiano uerba Auieni alia corrupta essent alia excidissent. quam ob rem ea, quae dixi, pro inani sermone habenda non sunt. quid? quod postremo eo artificio usus est, quod non ad refellendum sed ad captandum excogitatum esse nemo non intellegat. nam de duodecim illis adnotatiunculis illi iudicandum fuisse, quis est quin uideat? de illis agitur, non de toto poemate, in quo recognoscendo, quae nunc Arateorum est condicio, libros manu exaratos quam plurimos indagandos, diiudicandos, usurpandos esse ne is quidem negabit qui primoribus labris gustauerit artem criticorum et extremis, ut aiunt, digitis attigerit. sed quid opus est plura? homo ille doctissimus, cum non haberet quod recte diceret, praue dicere maluit quam tacendo errorem suum confiteri.

Ambrosianus enim u. 280 haec corruptissima praebet: *abcade hic* et editio princeps: *Alta dehinc,* qua lectione constructio uerborum turbatur.

Neque minus librarii uidentur errasse, cum u. 371 potius ponerent *repetunt* quam *repetant.* quod quin Auienus scripserit non dubito, nam coniunctiuum modum eis, qui subsequantur, coniunctiuis postulari manifestum est.

Idem dici potest de uersu 225. quamquam hic ea, quae codices et prior Venetorum editio memoriae prodiderunt, ita comparata sunt, ut ex eis Auienum *dissiciunt* scripsisse concludas, tamen *disiciunt* scribere malui. illud enim librariorum inuentum est, quos, ut primam syllabam producerent, *dissicere* scribere solitos esse constat (cf. Lachmann. ad Lucret. II 951).

Ac u. 440 Grotius uulgatum linguae Latinae usum spectans *trepidus* posuit. neque eo setius hoc loco, cum Ambrosianus et editio princeps *trepidae* praebeant, *trepide* scribendum est.

Iam nil mutandum est u. 503, quo Auienus *sicco* iam *mergite* culmos defleri dixit. nam mergitis uocem etiam generis masculini esse testatur Priscianus VI, 10, 55 p. 702 P. p. 210 Hertz., cuius uerba recte explicauit Fridericus Neue in priore uolumine libri, qui inscribitur Formenlehre der lateinischen Sprache, p. 686 editionis prioris.

Neque uero u. 180 Aldi lectio captiosa, quam ceteri editores secuti sunt, quantum scio, omnes, praeferri debet ei, quam praebet liber Vindobonensis. Auienus enim, postquam inde a uersu 164 exposuit quae tempestatum signa essent luna et crescente et senescente atque quamdiu quodque signum ualeret, postremam partem id est quattuor postremos dies (cf. u. 19 sq.) mensis et quam illa portendat tempestatem a luna decrescente temperari docet. qua in re postremum mensem siue τὴν τετράδα, ut ait Aratus Progn. u. 77, ita significat, ut illa tempora notari dicat, quae a luna deminuta transeant ad lunae coitum, quam astrologi recentiores nominauerunt coniunctionem, uel potius, ut eius ipsius uerbis utar, donec Phoebe accedat ignis luminis germani i. e. solis. accedendi autem uerbum saepe numero coniungi cum casu accusandi inter omnes constat. apte igitur Auienus:

illa dehinc, donec germani luminis ignis
accedat *Phoebe,* mensis postrema notabunt.

et sane eum, cum de uarietate et forma lunae loquatur, dicere ne-

cesse est lunam appropinquare soli, non lunae solem. hoc enim diceret, si, quod eum dicentem facit Aldus, *Phoebae* scripsisset. quod uero in libro Ambrosiano scriptum est *Phoebo,* eo etiam multo contortior fit oratio atque obscurior.

Restat unus locus. uersu enim 105 *fulgoris,* cum in membranis, e quibus Ambrosianus *fulguris* habet mutatum in *fulgoris,* itemque in editione principe scriptum sit, sine ulla dubitatione retinendum esse censui. eo enim minus ab hoc genetiuo abhorrere licet, quod cum *fulgorum* et *fulgoribus* tum *fulgora* apud Ciceronem inueniuntur. cuius rei exempla collegit F. Neue in eiusdem, quem modo dixi, libri uolumine I p. 174 sq. nec solum hoc loco sed etiam Phaen. 871 *fulgoris* inuenitur et in codice Vindobonensi et in editione uetustissima.

Quae res cum ita se habeant, haud scio an expediat simul conspicere et iudicare, quot maculis Auieni Aratus et usque ad hanc aetatem aspersus fuerit et nunc sit elutus. itaque Arateorum editionem nouissimam, quam F. C. Matthiae anno huius saeculi septimo decimo Francofurti ad Moenum adornatam Arati Phaenomenis adiecit, infra cum nostris Prognosticis ita contuli, ut quouis rerum orthographicarum genere prorsus neglecto lectionibus illius meas adiungerem. sunt autem hae: 1 primo | primum 6 primo | primum 8 cedat | caedat ‖ forma | formam 15 ignem | ignis 25 jugales | iuuencos 27 At | Ac 32 non | nunc 45 Cecropia | Cecropea 46 inseditque | inseuitque 47 inventam | inuentum 48 Sed | et 52 Hoc ex fonte velut | Hic est fons unde et· 53 quo | quom 54 aequora | et quom ‖ paranti | parenti 62 rabidis | rapidis 84 immadidum | inmadidi 85 fundit | fudit 88 Multaque materia est | uuida materies 99 eductum fervoris at objice mundus | et ductum feruentis ab obice mundi 101 agris | agri 104 aethrae | aethram 105 superna furor illisos fulguris | superne furens inlisio fulgoris 106 rutilis | rutili 111 jugales | iuuencos 112 deorsum | deorum 115 telluris | telluri 136 praetendat | protendat 140 protollens | protollat ‖ currus | cursus 141 sit | sic 142 nec tum | nec se 143 supinatum diducat lumen | supinato diducat lumine 146 coruscos | coruscis 154 *deest* | si luna alta tuens docet inclinarier alta 159 ora | oras 157 subrigit | subrigat 168 fissa | fessa 169 induerit | induit ac 180 Phoebae | Phoebe 184 axi compactum | axe adamanteo 185 alta | altum 190 obnitet | optinet 192 imbrifer | umbrifer ‖ Has super | his

super 193 Solis | Soli 205 orbis | orbem 240 atra | ora 241 orbem | orbe 251 induat | inbuat 252 pro tractu | protractu 253 labentem | labenti 254 retro | taetro 257 praecurrit | percurrit 258 flumina | flamina 265 nebulose | nebuloso 266 haecque | hicque 268 Sic | hic 280 alta | adque 295 ferat | serat 298 ac in lapsu | et inlapsum 300 sine | et 319 servarunt | seruarint 334 aërii | aeriis 344 ingens | saeuus 356 convertit | cum uertit 360 nebulam | nebulas 371 repetunt | repetant 382 totis | latis 383 madebunt | natabunt 384 relinquens | relinquet 387 Redditur | sedibus 399 trahit | ciet 406 crassa | clara 408 et | ac 409 referat | referant 430 signa | dura 434 aethrae | aethra 440 trepidus | trepide 441 ad | ob 480* nondum* | *primum* 490 Namque | nam quae 499 altam | altas 500 ventis | uenas 502 hos | has 504 modicum | modico ‖ agmen | agmina 513 laetius | latius 532 commonstrant | cum stridunt 534 Portendit | portendunt ‖ praesentia multam | praesentiat ultro 546 ea | et 552 perquire | perquires.

Ex his perpauca ille ipse nonauit eaque inuita Minerua, ut u. 1 *primo* 54 *paranti* 319 *servarunt* 409 *referat.* unum illud, quod u. 241 (*orbem*) scripsit, cum a uero abhorrere non uideatur, memoria dignum est. reliqua autem, quae adtulit, uel a Grotio uel a Buhlio mutuatus est, ex cuius erroribus foedis foedissimos duos u. 254 (*retro*) et u. 490 (*Namque*) amputare et circumcidere neglexit.

RVFI FESTI AVIENI

ARATVS

inde a uersu 1326 usque ad uersum 1878
qui uersus uulgo inscribuntur

PROGNOSTICA.

Nonne uides, primum cum Phoebe in cornua surgit
tenuia et angusto lumen iacit ore per aethram
decedente die pronoque ab tramite solis,
promat ut ingressi sollers tibi tempora mensis?
namque facem quarti sibimet profitebitur ignis,
corpora cum primum perfundens lumine nostra
in subiecta soli tenuem porrexerit umbram.
ast orbis medii si caedat Cynthia formam,
octauos ortus octauaque plaustra docebit.
denique cum toto dea iam surrexerit ore,
integer ut magni resplendeat ambitus orbis,
effluxisse sibi medii iam tempora mensis
monstrabit caelo. pleni cum rursus egena
oris eat, tanto procedens lumine formae,
inserit aeriis quantum dea nubibus ignis,
esse senescentis sibimet dispendia mensis
illa docet, quibus in rutili confinia fratris
tertia uix mundo superest uia. cum minus autem
umbrarum excludit, sunt tales quattuor ortus
marcentis lunae, quales sub mense renato

---

u. 1—9 *omittit A* ‖ 4 ingressi *Grotius* ingressis *V* ‖ sollers *correxi* solers *V* ‖ 8 ast *e* Astat *V* ‖ caedat *scripsi cf. Hermes XVI p. 126 n. 83* cedat *V* ‖ 9 octauos *v* octauus *Ve* ‖ 10 dea iam surrexerit ore *V om. A* ‖ 11 ut magni resplendeat ambitus orbis *V om. A* ‖ 12 effluxisse *V* effluxis *A* ‖ sibi medii iam tempora mensis *V om. A* ‖ 13 monstrabit caelo pleni *v* monstrabit caelo spleni *V post XII litterarum spatium* pleni *A* Monſtrabit caelos pleni *e* ‖ 15 ignis *scripsi* ignes *VAe* ignem *Grotius* ‖ 16 senescentis *V* senes contis *A* ‖ 17 in rutili *V om. A*

quattuor exsurgunt languentis luminis umbrae,
adque his octonas includunt ordine luces.
interiectorum numerum quoque nosse dierum
.prompta uia est: proprio semper dea proditur ore,
scandat quanta polum, quotiens temone iuuencos
strinxerit et quanto iam tramite liquerit undas.
Ac decedentis postrema crepuscula noctis
bis sex signa tibi, quae uersat signifer orbis,
monstrabunt, cursu nam Phoebus singula mutat
semper et alterno succedit in omnia lapsu,
conficiens iter aetherium. nunc igneus istud
astrum adolet flammis, alii nunc aurea Titan
lumina miscetur, uel cum deuexus in undas
labitur et rebus formam absumpsere tenebrae,
uel matutino redit incunabula linquens
cum pelago et rebus suffudit luce colores.
sic diuersa diem comitantur sidera semper.
non ego nunc longo redeuntia sidera motu
in priscas memorem sedes, habet ista priorum
pagina et incerta rerum ratione feruntur.
nam qui solem hiberna nouem putat aethere uolui,
ut lunae spatium redeat, uetus Harpalus, ipsam
ocius in sedes momentaque prisca reducit.
illius ad numeros prolixa decennia rursum
adiecisse Meton Cecropea dicitur arte
inseuitque animis: tenuit rem Graecia sollers
protinus et longos inuentum misit in annos.
et primaeua Meton exordia sumpsit ab anno,

21 luminis *e* lumine *V* lumines *ex correctione A* || 22 his *V* bis *A* || octonas *V om. A* || 25 iuuencos *VAe* iugales *v cf. Hermes XVI p. 130 n. 91* || 30 succedit in omnia lapsu (labsu *V*) *Ve om. A* || 31 iter aetherium nunc igneus *V om. A* || 32 astrum *V* astr *A* || adolet flammis alii nunc aurea Titan *V om. A* || 36 suffudit *e* suffidit *V* infudit *A* || 37 diem *V* die *A* || comitantur *A* comittantur *V* || 39 memorem sedes *v* memore sedes *V* memoro sedes *A* memores edes *e* || 41 nam qui *Scaliger de emend. temp. II p. 73 sq. edit. II* nãq. *V* nanque *A* Nam quæ *e* || solem *e* solon *VA* || aethere *e* aethrae *V* aethera *A* || uolui *A* uului *V* || 42 lunae *A* luna *V* || 43 momentaque *A* momenta quae *V* || 44 prolixa *e omittunt VA* || decennia *V* decentia *A* || 45 Cecropea *e* Cecropiea *V* Cecoprea *A* || 46 inseuitque *commentarius Berolinensis* inseditque *VA* || *u.* 48 *hoc loco omittit, post u.* 49 *praebet haec*: exordia sumpsit ab anno *A in*

torreret rutilo cum Phoebus sidere cancrum,
cingula cum ueheret pelagus procul Orionis
et cum caeruleo flagraret Sirius astro.
Hic est fons, unde et deduxit tempora lunae
nauita, quom longum facili rate curreret aequor,
et quom ruris amans telluri farra parenti
crederet: ingenti petat haec indagine semper
seu qui uela salo, seu qui dat semina terrae.
nec mora discendi, breuis hic labor et breue tempus
poscitur, innumeros habet autem industria fructus.
utilitas te certa manet, praenoscere motus
si libet aerios et tempestatibus ipsis
edere principium. te primum sponte procellis
arcebis rapidis, te rursum principe fluctus
uitabunt alii, si certis singula signis
tempora discernas. nam mundi cardine uerso
ut stata raucisoni redit indignatio ponti.
saepe etenim quamquam tranquillae noctis amictu
mitia protenti requiescant terga profundi,
doctus securam subducit ab aequore classem
nauita et actaea retinet statione phaselum,
cum matutinae praesensit signa procellae.
namque alias caelo cum tertia lumina Phoebus
exserit, ille sali furit inplacabilis horror,
adfore quem pelago comitem sibi dixerat astrum.
crebro quinta dehinc lux commouet Amphitriten,
saepe inopina mali clades ruit. omnia certis
indiciis tibi luna dabit, seu lucis utrimque
caesa facem, seu cum teretem concrescit in orbem.

---

margine habet *V* ‖ et *V* sed *e* ‖ primaeua Meton *v* primeuam ton *V* primeuaton *e* ‖ 49 torreret *e* torret *VA* ‖ 51 caeruleo *e* caerulea *V* ceruleo *A* ‖ 52 hic est fons *scripsi cf. Hermes XIII p. 360 n. 41* hoc ut fontē *V* hoc et fontem *A* ‖ unde *e* undae *VA* ‖ deduxit *Grotius* et duxit *VA* ‖ 53 quom *scripsi* quo *VA* ‖ 54 et quom *scripsi* Etquora *V* Et quot *A* Aequora *e* ‖ ruris *e* raris *V* aris *A* ‖ farra *V* fama *A* ‖ 56 seu qui dat *e* seuo quid at *V* sęuo quid at *A* ‖ 57 hic *v* huc *VAe* ‖ 59 praenoscere *V* praenossere *A* ‖ 62 rapidis *VAe* rabidis *v* ‖ 63 signis *Ae* ignis *V* ‖ 68 aequore *Ae* aequorē *V* ‖ 69 phaselum *V* phasellum *A* ‖ 71 alias *v* alia *VAe* ‖ 72 exserit *V* exerit *A* ‖ 76 utrimque *V* utrūque *A* ‖ 77 caesa *A* Cessa *V* ‖ concrescit *A* concressit *V*

sol quoque uenturas aperit tibi saepe procellas,
sidera producens et cum sale sidera condit.
Nec minus ex aliis aderit cognoscere motus
aequoris et magnos caeli callere tumultus,
quos det certa dies, qui longi tempore mensis
astrorumque uice et mundi ratione trahantur.
aeris inmadidi quiddam tellure creatum
spiramenta uomunt. uis hoc cum fudit in auras
uenarum, occulte patulo praetexitur agro
insubiectum oculis terramque supernatat omnem:
uuida materies, quam cum calor ignicomantum
hausit stellarum, superas subducit in auras
et concreta diu conpingit nubila mundo.
si minor haec madidi substantia caespite ab imo
subrigitur, tenues nebulae caligine fusa
tenduntur caelo. uis autem siccior olli
cum fuit, in celeres dissoluitur undique uentos
uicinumque sibi flabris dominantibus ultro
aera propellit. si maior protinus umor
consurrexit humo, pluuias quoque nubila fundunt
et pluuiis late calor est pater. hic super imbres
exprimit et ductum feruentis ab obice mundi
respuit umorem. si moles magna utriusque
occurset sibimet uelut obuia comminus agri,
conpulsu aerio fragor intonat amplaque late
murmura discurrunt pariter crepitantibus auris.
hic inflictus item diuersorumque per aethram
saepe superne furens inlisio fulgoris ignes
excludit rutili totamque uolantibus aethram
praestringit flammis et caelum sulfure odorat.

---

82 quos *V* quid *A* || qui *Grotius* quid *VA* || tempore *Grotius* tempora *VA* || 83 trahantur *A* tractantur *V* || *de uersibus* 84—107 *cf. Hermes XVI p. 128 n. 90 u.* 84 *omittunt VA* inmadidi *e* immadidum *v* || 85 fudit *V* fundit *A* || 87 insubiectum *V* in subiectum *A* || supernatat *v* super notat *VA* supernotat *e* || 88 uuida *N. Heinsius* Vulta *V* Multa *A* Multaq; *e* || 92 nebulae *A* nubulę *V* || 94 dissoluitur *A* dissoluit *V* || 97 humo *A* umo *V* || 99 et ductum *Schaubachius* et ducta *VAe* || ab *Schaubachius* ut *VAe* || 101 sibimet *A* simet *V* || 102 conpulsu *correxi* compulsu *A* conpulsa *V* || 105 inlisio *V* illisio *A* illifo *e* || fulgoris (fulguris *correxit A*) *VAe* fulguris *v* || 107 sulfure *A* sulpore *V* sufure *e*

omnibus his genetrix tellus et caespite ab imo
ducuntur superi motus. ipsa ignea mundi
lumina, flammigero Phoebus temone coruscans
et quae noctiuagos attollit Luna iuuencos,
his peperere malis exordia. namque deorum
mouit humum cum forte calor, laxata repente
spiramenta soli uenas procul altaque pandunt
uiscera telluri. bibit imum terra calorem
desuper et madidum tepefactus caespes anhelat.
aeris hos motus rabiemque uolubilis undae,
flabra procellarum, mundani tramitis iras,
praesentire decet. cape sollers singula mente
praeceptisque uirum sitientia pectora pande.
  Cynthia cum primum caelo noua cornua promit,
cautus utrimque deam circumspice, namque reuectae
nequaquam semper similis lux inbuit ortum,
sed species diuersa trahit uarioque notatur
formarum. primi cum surgit luminis igne,
tertia cum rutilat, cum maior sideris aethram
scandit et aerias quarta face luminat oras,
ingredientis erit plene tibi nuntia mensis.
haec castigato si tertia fulserit ortu,
pura sit ut foedis ab sordibus, adfore dicet
clara serena diu. tenui surrexerit autem
si face et ignito suppinxerit ora rubore,
turbida certantes conuerrent aequora cauri.
luminis ista dehinc si crassior adque retunsis
cornibus ingreditur, si quarti sideris ortu
percussi tenuem protendat corporis umbram,
imbribus aut zephyris hebetabitur, arguet ultro
flabra noti aut pluuias. nam crassus desuper aer
cornua caeca premit, notus uuidus aera cogit.
tertia si rursum protollat Cynthia cursus,

---

108 genetrix *V* genitrix *A* || 109 motus *v* metus *Ve* †metus *A* || 110 flammigero *e* flamigero *VA* || 111 iuuencos *VAe* iugales *v* || 112 peperere *e* perere *VA* || deorum *VAe cf. Hermes XVI p. 131 n. 92* deorsum *v* || 117 rabiemque *V* rabieque *A* || 128 erit plene *e* eritq. lene *VA* || 129 fulserit *V* fulxerit *A* || 133 conuerrent *V* conuertent *A* || cauri *v* chauri *VAe* || 135 ortu *v* ortum *VAe* || 136 percussi tenuem *Grotius* percussi ut tenuem *VAe*

sic subrecta faces et acumina tenta coruscans,
ut nec curua quasi declinet cornua nec se
fusa supinato diducat lumine in auras:
occiduo zephyrum praedicet surgere mundo
aut Libyae de parte notum. sin quattuor autem
Cynthia curriculis caelum subit adque coruscis
cornibus inmodice prostantibus exserit ignes,
uis prolixa salum ciet, ocius omnia cauri
marmora conuoluent, fera uerrent flabra profundum.
istius in borean quod se sustollit acumen,
si curuum specie uelut adnuat, adfore caelo
saeua procellosi praedicet flabra aquilonis.
namque hoc urgeri sese adserit hocque grauari,
si luna alta tuens docet inclinarier alta.
indice rursus eo ueniet notus, hanc ubi partem
pone supinari conspexeris inque reclinem
sponte habitum pandi, nam subrigat auster acumen
inferiore plaga. si lunam tertius ortus
proferat adque deae conuoluat circulus oras
suffusus rutilo, mox tempestate sonora
spumosum late pelagus canescere cernes.
maior et haec rauci uersabit gurgitis undas,
ipsa quoque inmodice si uultum luna rubescat.
Contemplator item, seu plenum luminis orbem
Cynthia distendit, seu cum teres ambitus olli
caeditur et mediae uelut indiga lucis utrimque
sustinet obductae sibimet dispendia formae,
cornua prima replens et cornua fessa dehiscens.
induit ac qualem procedens ore colorem,

---

143 lumine in auras *A* lumineninauras *V* lumen in auras *e v cf. Hermes XVI p. 131 n. 93* ‖ 145 Libyae *A* lybiae *V* ‖ 147 prostantibus *v* prosst^{r}antibus *V* prostrantibus *A e* ‖ exserit *Grotius* suserit *V* usserit *ex correctione A* ‖ 148 uis *Grotius* uix *V A* ‖ cauri *v* chauri *V A e* ‖ 149 fera *A* ferra *V* ‖ uerrent *V* uertent *A* ‖ 150 borean *V* boream *A* ‖ 151 specie *A* speciae *V* ‖ adnuat *correxi* anuat *V* annuat *A* ‖ adfore *e* afore *V* affore *A* ‖ 154 si luna alta tuens *scripsi cf. Hermes XIII p. 363 n. 46* Sūma altę tuendo *V* Summa alte tuendo (t̃uendo *A*) *A e hunc uersum om. v* ‖ 165 cum *V* tum *A cf. Hermes XVI p. 132 n. 94* ‖ 166 caeditur *V* ceditur *A* ‖ indiga *A* indica *V* ‖ 168 fessa *V A* fissa *Grotius* ‖ 169 Induit ac qualem *A* Induit †et (ae) aequalem *V*

hunc perpende oculis, ipso monitore dierum
signa tene ac totum discerne in tempora mensem.
non unum deprehensa diem tibi signa loquuntur
nec uulgo in cunctis adsunt praecepta diebus,
sed quae signa nouo dederit nox tertia motu
quartaue, sustollat medios dum Cynthia uultus,
durabunt caelo. medio quae edixerit ore
ignis in plenos, hinc in dispendia rursus
altera prouisae signantur tempora lunae.
illa dehinc, donec germani luminis ignis
accedat Phoebe, mensis postrema notabunt.
hoc, quod protento uehit ingens mundus inani,
aera nomen habet; quod spirat caespite tellus,
nubila dicuntur. caelum super aula deorum
axe adamanteo conuoluitur. hic sua certis
sunt loca numinibus. borealis uerticis altum
regia Saturni. qua siccior annus anhelat
aestatis rutilo, calida stat Iuppiter aethra.
inmodicus terram qua desuper ignis adurit,
Gradiuo incolitur. brumalis pulsus habenas
qua Solis redigit, pulchro Venus optinet astro.
ast ubi demerso latet ater circulus orbe,
cessit Mercurio locus umbrifer. his super amplas
quinque tenens zonas certo uia feruida Soli
limite decurrit. tum Lunam nubila propter,
exhalantis humi qua spiramenta madescunt,
ima uehunt caeli. lux it dum fusa frequenter

---

170 hunc *Grotius qui idem* hanc *coniecit* hanc *ex correct. V* hinc *A* ‖ 172 deprehensa *VAe* deprensa *v cf. Luc. Mueller de re metr. p. 253* ‖ 174 nox *v* mox *VAe* ‖ 175 dum *A* du *V* ‖ 177 ignis *Ae* ignes *V* ‖ 180 Phoebe *Ve* Phoebo *A* Phoebae *v* ‖ 181 uehit *V* uelut *A* ‖ 183 caelum *V* celsum *A* ‖ 184 axe adamanteo *comm. Berolin. Hauptius* (*Hermes VII p. 13*) *cf. u. 230* axea denteo *VA* ‖ 186 anhelat *e* hanelat *V* anhęlat *A* ‖ 188 terram *v* terra *VAe* ‖ 190 optinet *V* opprimet *A* ‖ 191 ast ubi demerso *V om. A* ‖ ater *V om. A* ‖ 192 cessit Mercurio *V om. A* ‖ umbrifer *VA* imbrifer *e cf. Hermes XVI p. 133 n. 95* ‖ his *e* hi *V* hic *A* ‖ 193 quinque tenens *v* quinque tenet (? *V*) *Ve om. A* ‖ 194 tum lunam *Grotius* cum luna *V om. A* ‖ nubila *e* inubila *V om. A* ‖ propter *V om. A* ‖ 195 exhalantis *V* exhallantis *A* ‖ 196 lux it dum fusa *Grotius* luxit dum (?) frustra *V* luxit ... frustra *A*

desuper in nubes, rutilantis lampada lunae
pascitur umore et uarias dea lumine formas
exprimit inserto. sic crebro denique Phoebe
nubibus ambiri, cum subsint nubila lunae,
creditur. hanc quotiens includere circulus ergo
spectatur, proprio succedunt ordine signa:
ille alias trino conuoluit tramite lunam
et geminus plerumque meat, solet unicus idem
cingere. si simplex circumuersabitur orbem,
signa procellarum certissima, signa sereni
praeferet; abruptus subito praenuntiat euros.
marcescens tenui sensim caligine et aethra
digestus patula docet undis adfore pacem.
si duo se lunae circumfudere, repente
maxima uis pontum, uis uerret maxima terras
maioresque dehinc agitabunt stagna procellae,
si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem;
et magis inmodica formidine saeuiet auster,
zonarum taeter fuerit si tractus in aethra.
denique disrumpant si sese cingula lunae,
ultima tempestas ruet imi gurgitis aestum.
  Solis quin etiam, solis tibi cura uidendi
sit potior, solem melius praeuisa sequuntur
astrorumque duci monstrata tenacius haerent,
siue ille occiduas uergat decliuis in undas
seu se luciferis reparabilis exserat oris.
istius ingentes radii caliginis atrum
et nebulosarum tractus piceos tenebrarum
lumine disiciunt, cum per chaos umbriferum uis
flammea peruasit. cum se per noctis amictus
inserit aeriae fulgor facis, ille calore

---

200 ambiri cum subsint *V* ambicum.. subsint *A* ‖ 203 alias trino *V* ab austrino *A* ‖ 205 orbem *VAe* orbis *v cf. Hermes XVI p. 133 n. 96* ‖ 207 abruptus *v* abrutos *V* abruptos *Ae* ‖ 208 marcescens *e* marcens *VA* ‖ tenui *v* tenuis *VAe* ‖ *uersus* 218 *inscribitur* SOL *VAe* ‖ 220 astrorumque *A* Austrorumque *V* ‖ tenacius *e* tenauus *V* te nauus *A* ‖ haerent *V* haerens *A* ‖ 222 exserat *correxi* exerat *VA* ‖ 225 disiciunt *scripsi* difiiciunt *Grotius* dispiciunt *V* despiciunt *A* difficuit *e* ‖ 226 se per *Grotius* semper *VAe* ‖ 227 calore *V* calori *A*

pigra mouet, stimulat rutilis torpentia flammis.
Sol sopita animat, Sol dura obstacula primus
curru adamanteo reserat pater. efflua Phoebus
igne inhibet, Phoebus radiis densata relaxat.
at cum flammigeri cedit uis inclita solis,
lucis egens, crassaeque deus latet obice nubis,
et caelo et pelago magnos ait adfore motus.
non hic, cum primos educet gurgite uultus,
ceu picturato diuersos ore colores
proferat. haut etenim tali tibi sole reuecto
mitia iam caeli fas expectare serena.
et si tranquillo conuexa cucurrerit astro
indideritque facem ponto deus integer, ora
nube carens purusque comas et splendidus orbe,
conuenit eoae faciem praesumere lucis.
sed non ora cauo similis medioque recedens
orbe quasi uel si radios discingitur ultro,
figat ut australem porrecto sidere partem
aut borean rigidi iaculetur luminis igne,
et uento et pluuiis reparata in luce carebit.
Denique per flammas procul adque incendia solis,
ipsa dei cedunt blandi si lumina, sollers
tende oculos, certa hoc ducentur signa magistro.
et ne sanguineus late rubor inbuat ora,
qualia protractu uaga nubila saepe rubescunt,
aut ne labenti piceus color abdat amictu
lampada, quaere diu. si taetro crassior orbe est,
uuescet pluuiis tellus inflataque celsas

228 stimulat *Grotius* simulat *V* simul at *A* ‖ 229 animat *A* animet *V* ‖ 231 relaxat *A* relixit *V* ‖ 235 primos educet *v* primo seducet *Ve* primo subducet *A* ‖ 237 haut *correxi* haud *VA* ‖ sole reuecto *V* sydere uecto *A* ‖ 239 astro *Grotius* austro (astro *deleuit A*) *VA* ‖ 240 facem-*A* face *V* ‖ ora *VA* ara *e* atra *v* ‖ 241 comas *N. Heinsius* coma *VAe* ‖ orbe *VAe* orbem *F. Matthiae* ‖ 242 faciem *V* facem *A* ‖ 246 aut *VAe* ac *Grotius* ‖ iaculetur *V* iaculentur *A* ‖ igne *V* . . ne *A* ‖ 247 in *VA deleuit Grotius* ‖ 248 solis *v* solers *VAe* ‖ 249 sollers *v* solis *VAe* ‖ 250 magistro *V* sinistro *A* ‖ 252 protractu *e* protactu *V* pro . . . . . tactu *A* ‖ saepe *V om. A* ‖ 253 labenti *e* libenti *V* liuenti (?) *A* ‖ abdat *V* abdit *A* ‖ 254 quaere *V* qua ore *A* ‖ taetro *e* retro *VA* ‖ 255 uuescet *A* Versetur *A* ‖ inflataque celsas *V om. A* ‖ *hic finitur Aratus V*

aggere deuicto superabunt flumina ripas.
ignea si fulgor percurrit plurimus ora,
flamina crebra salis quatient uada, flamina terras
conuerrent omnis et duri flabra aquilonis
siluarumque comas et celsa cacumina flectent.
uis simul amborum si uultum solis oberret,
cuncta noti quatient, imbres procul arua rigabunt.
  Ecce alias primo nascentis solis in ortu
uel cum praecipites pelago deus inserit ignes,
ut coeunt radii nebuloso! cetera quippe
pars Hyperioniae rutilat facis hicque comarum
uis confusa micans mundo sua lumina praestat.
hic globus ater item liuentia nubila cogit.
non numquam crasso nebularum tectus amictu
in conuexa redit, tum caelo rursus aperto
cum ruit, opposita uultum caligine condit:
omnibus his signis in terram defluit imber
plurimus. interdum tenuis praeuertere nubes
uisa deum. haec celeri si praesurrexerit ortu
ipseque pone sequens radiorum luce carere
cernatur, nimbis ingentibus arua madebunt.
at matutini si Phoebum litoris acta
maiorem solito produxerit adque per aethram
marcenti similis defluxerit extimus orbis
adque dehinc scandens minuat iubar igniferum sol,
pura serena aderunt. namque olli gurgitis aer
crassior inmodicum surgens diffuderat orbem
et iam se tenero sustollens tramite caeli

---

u. 257—424 *leguntur post descriptionem terrae A* ‖ 257 percurrit *A* precurrit *e* ‖ 258 flamina *v* flumina *A* Elamina *e cf. Hermes XVI p. 133 n. 97* ‖ flamina *scripsi cf. Hermes eodem quem modo indicaui loco* flumina *A e* ‖ 262 cuncta noti quatient imbres *e* 3iiacca (*sic!*) nocti quaties indes *A* ‖ 268 nubila *e ex correctione A* ‖ 274 celeri *A* celeris *e* ‖ si *v om. A e* ‖ praesurrexerit *e* pressus surrexerit *A* ‖ ortu *Grotius* ortum *A e* ‖ 276 cernatur *v* Lętatur *A* Certatur *e* ‖ 277 Phoebum litoris *Grotius* Phoebum in littoris *A* ‖ 278 adque (atque *e*) per *e* ad.ap *A* ‖ 280 adque dehinc *scripsi* abcade hic *A* Alta dehinc *e* ‖ iubar *e* uiuat *A* ‖ igniferum *e* igniparum *ex corr. A* ‖ 281 serena *v* secene *A* ſerene *e* ‖ olli *e* orri *A* ‖ 282 inmodicum (immodicum) *Grotius* ‾ modicum *A* ‖ 282 surgens *v om. A e* ‖ diffuderat *v ex corr. A* diffunderat *e* ‖ 283 se *Grotius* si *A e*

oblitum iusti iubar attrahat. hic quoque, magnis
cum madefacta dies sub tempestatibus horret,
pallidus ora cadens promittit pura serena.
displosis etenim per apertam nubibus aethram
ora laboranti similis languentia pallet
et disiectarum moles late nebularum
indicat exuti faciem clarescere mundi.
quin nascente die uenturos conuenit imbres
noscere, cum proni procul ad confinia caeli
deferri piceo spectaris nubila tractu.
et cum declinant radii se partem in utramque
lucis in occasu, nox ut serat algida rores,
imber erit. puras si Phoebus condat habenas
et Calpetano tranquillum gurgite lumen
tinguat et inlapsum nubes ignita sequatur,
noxque diesque dehinc uenturi rursus eoi
nimborum expertes et tempestatibus atris
durabunt. sed cum radiis marcentibus ardor
languet et in tenui tenduntur acumine frustra
Phoebei crines, nimbos aget atra procella.
talis et obducti cernetur forma diei,
qualem fraternos subtexens luna iugales
lucem hebetat: subit haec superi sacra lumina solis
inferior mediaeque interstans lampadis orbe
arcet flammigerae radium facis. haut tibi rursum,
cum matutinos molitur lucifer ortus,
ebria sanguineae subuoluant uellera nubes;

---

284 oblitum *e* Obliquum *A* ‖ 285 dies *Grotius* die *A* ‖ 286 cadens *e* calens *A* ‖ pura *e* para *A* ‖ 287 displosis *e* diplosis *A* ‖ etenim *e* sed enim *A* ‖ 289 disiectarum *e* dissectarum *A* ‖ 290 exuti *e* et uti *A* ‖ clarescere *e* calor ascere *A* ‖ 291 quin *v* Cum *A* Qui *e* ‖ 292 noscere *e om. A* ‖ 293 deferri *v om. A* ‖ spectaris *e* spectantis *A* ‖ 295 occasu *e* hoc casu *A* ‖ 296 puras *e* primas *A* ‖ condat *Grotius* condit *A* ‖ 298 tinguat *e* tingat *A* ‖ inlapsum *correxi* illapsum *comm. Berolin.* in lapsum *A* in lapſu *e* ‖ 299 noxque *e* Nanque *A* ‖ 300 expertes *e* et ptes *A cf. Hermes XIII p. 359 n. 37 et XV p. 182 n. 51* ‖ 301 cum *e* dum *A* ‖ 302 languet *e* langueat *A* ‖ in *v om. Ae* ‖ tenui *e* tenuat *A* ‖ 305 fraternos *e* nox fratrem *A* ‖ 306 hebetat *v* habitat *Ae* ‖ 307 inferior *e* Inferius *A* ‖ interstans *v* uter trans *A* ‖ 308 arcet *e om. A* ‖ flammigerae *v* flamiger *A* flammigere *e* ‖ radium *e* aera dium *A* ‖ haut *Grotius* aut *Ae* ‖ tibi rursum *e* abi rusfum *A* ‖ 310 ebria sanguineae *v* Et nasan ganea *A* Ebria sanguinea *e*.

namque grauis caelo fundetur protinus imber.
Nec si sole procul rutila inter stagna morante
emineant radii, radios quoque crassior umbra
contegat, ille dies pluuiis uentoque carebit.
quin erit imber item, si solem circulus ater
ambiat exortum. maior se denique nimbus
urgebit caelo, maior sola perluet imber,
circumfusa adeo si cingula nescia solui
seruarint taetrae speciem torpentia molis.
saepe etiam Phoebo nubes percussa rubescit
et meditata dei formam procul igne recepto
concipit effigiem, simulato luminis orbe.
id qua parte poli spectaueris, adfore ab ipsa
parte tene uentos. tamen haec, tamen omnia semper
decedente die melius uentura docebunt.
Conuenit hic etiam paruum praesepe notare.
id nubi nomen, quae cancro obuoluitur alto,
Graecia docta dedit. duo propter denique asellos
suspice, quorum alius septem uicina trioni
astra adolet, tepidum procul alter spectat in austrum.
in medio quod nube quasi concrescit adacta,
id praesepe uocant. porro hoc praesepe repente
si sese ex oculis procul auferat, ardeat autem
congruus aeriis late rubor ignis asellis,
nequaquam tenues agitabunt stagna procellae.
at si sideribus similis lux duret et illi
taetra sit effigies, cadet altis nubibus imber
lenior et parco mox tellus rore madebit.
sed boreae si parte trucis uelut indiga iustae

---

311 fundetur *e* fundo cur *A* || 312 rutila inter *e* rutilantis *A* || stagna *e* anga *A* || morante (morantur *corr. A*) *Ae* || 313 radios *e* radio *A* || crassior *e* rasior *A* || 315 erit *e* nent *A* || 316 exortum *e* exortam *A* || 318 adeo *e* dea *A* || si cingula *e* sic ingula *A* || 319 seruarint *scripsi cf. Hermes XIII p. 361 n. 42 item comm. Berol.* seruarent *Ae* || taetrae (tetre) *e* ta eo *A* || 321 dei *e* die *A* || igne *e* ore *A* || 323 quà *e* qd *A* || spectaueris *e* pectaberis *A* || adfore *e* affore *A* || *u.* 326 *inscribitur* Aselli *Ae* || 326 praesepe *v* prerepe *A* presepe *e* || 330 tepidum *e* termum *A* || 331 concrescit *e* concessit *A* || 332 id *e* in *A* || 333 auferat *Grotius* aufert *A* auferri *e* auferet *v* || 337 taetra *e* tetra *A* || cadet *e* ruet *A* || 338 parco *e* pars eo *A* || rore madebit *e* rorem adebit *A* || 339 iustae *v* iuste *Ae*

stella facis lento marcescere cernitur igne,
et procul alterius iuba late flagrat aselli,
protinus Aethiopum surget conuallibus auster.
at regione noti si lucem stella senescat,
saeuus Riphaeis aquilo crepitabit ab oris.
Quin et terrenis cape rebus certa frequenter
signa procellarum. nam cum traxere tumorem
aequora prolixum, cum litora curua resultant
sponte procul neque caeruleus colliditur aestus,
aut cum proceris uertex in montibus ultro
perstrepit aerium, uentos instare docebunt.
Et cum parua fulix trepido petit arua uolatu,
stagna sinens, longasque iterat clangore querelas,
indicat insanis freta mox canescere uentis.
denique cum caelo tenduntur pura serena,
saeuitura polo sunt flamina, primus in ipsa
mox picturati cum uertit pectoris artus
sturnus edax, premat ut tenues uis obuia plumas
et ne post tergum pateat penetrabilis euro.
Latipedemque anatem cernes excedere ponto
saepius et summa nebulas se tendere rupe,
iamque super latices florum uolitare senectam
stellarumque comas rumpi procul, aethere celso
decidere in terras, rutilarum spargere crines
flammarum et longos a tergo ducere tractus:
inde etiam uentos mox adfore praemonet usus.
Quodsi diuersis se passim partibus ignes
excutiant, uerret pelagus sine fine modoque
turba procellarum, si duri limite ab euri,

---

341 alterius *e* agitenus *A* ‖ 343 at *e* A *A* ‖ 344 Riphaeis *e* Ripheisa (*deleuit A*) Rhipheis *A* ‖ crepitabit *e* trepidabit *A* ‖ *u.* 345 *inscribitur* Venti *Ae* ‖ 346 cum traxere tumorem *e* contraxe humor *A* ‖ 347 litora *corr.* littora *A* ‖ 348 caeruleus *v* ceruleas *A* ceruleus *e* ‖ 350 uentos *e* uentus *A* ‖ 352 clangore *e* langore *A* ‖ 354 serena *e* sereno *A* ‖ 355 saeuitura *v* Seruit ura *A* Seruitura *e* ‖ 356 picturati *e* picea rati *A* ‖ cum uertit *scripsi cf. Hermes XIII p. 361 n. 43* conuertit *Ae* ‖ 357 tenues *e* tenus *A* ‖ 358 post tergum *e* post ergam *A* ‖ 359 Latipedemquė *v* Lata pedemque *A* Latipedem quæ *e* ‖ excedere *e* exedere *A* ‖ 360 se tendere *e* ascendere *A* ‖ 361 senectam *e* senetiam *A* ‖ 365 adfore *e* affore *A* ‖ usus *e* arui *A* ‖ 367 uerret *e* uertet *A* ‖ 368 euri *e* eari *A*

si regione noti, si lenis parte fauoni
aut de Bistonio mundi procul axe coruscat.
Si repetant ueterem ranae per stagna querelam,
uellera si caelo uolitent, si discolor Iris
demittat gemina se fornice, circulus albam
si stellam taeter uelut ambiat, aequora propter
si crepitent uolucres, si gurgite saepius alto
pectora mersentur, si crebro garrula hirundo
stagna adeat, rutilae cum sunt primordia lucis;
si matutinas ululae dant carmine uoces,
improba si cornix caput altis inserit undis,
flumine terga rigans, si saeuit gutture rauco,
plurimus abruptis fundetur nubibus imber.
Imber erit, latis cum bucula naribus auras
concipit, et late pluuiis sola cuncta natabunt,
cum proprias sollers sedes formica relinquet.
oua cauis ecfert penetralibus, aspera quippe
tempestas gelidusque dies et frigidus aether;
inserit internis terrarum sedibus aestus.
pectora cum curuo purgat gallinula rostro,
agmine cum denso circumuolitare uidetur
graculus et tenui cum stridunt gutture corui;
cum procera salum repetit clangore frequenti
ardea, cum paruae defigunt spicula muscae
et si nocturnis ardentibus undique testis
concrescant fungi, si flammis emicet ignis
effluus aut lucis substantia langueat ultro:
conuenit instantes praenoscere protinus imbres.
denique cum patulum torrens Vulcanus ahenum
scintillas flamma circumlabente relinquit;
si notus humentis Libyco ciet aethere nubes

369 fauoni *ex corr.* *A* fauonii *e* || 371 repetant *scripsi* repetunt *Ae* || 376 hirundo *e* irundo *A* || 377 stagna adeat *e* si..... adeat *A* || sunt *Grotius* sint *A* || 378 ululae dant *e* hululae dent *A* || 382 bucula *e* buccula *A* || 385 oua *v* Quaque *A* Qua *e* || ecfert *scripsi cf. Hermes XIII p. 362 n. 44* effert *A* haec fert *e* || 387 sedibus *A* reditus *e cf. Hermes XV p. 182 n. 52* || 390 graculus *e* Gracchulus *A* || 391 clangore *v* langore *Ae* || 392 ardea *e* Ardua *A* || 394 concrescant *Grotius* Concrescunt *A* || 396 conuenit *e* Cum uento *A* || protinus *e* proxim (*del. A*) protinus *A* || imbres *e* imber *A* || 397 torrens *v* torret *Ae* || ahenum *v* ah (*del. A*) ahęnum *A* aenum *e* || 399 humentis *e* humentes *A*

siue imum ad montem nebularum crassus amictus
tendatur, summo nudentur uertice saxa;
et qua pontus item freta per distenta quiescit,
nubila si longo se procumbentia tractu
diffundunt: caelo et Thetidi terrisque supinis
pax aderit, nusquam mundo ruet effluus imber.
Sed cum tranquillo tenduntur clara serena
sub Ioue, uenturae praenoscere signa procellae
conuenit ac rursum, cum perfurit aeris horror,
inspice, quam referant terris pelagoque quietem.
inter prima tamen paruum praesepe notatur,
arduus excelso quod cancer cardine uoluit.
hoc, cum concretus tenuari coeperit aer,
discutit inpositae late sibi molis amictum.
namque sereniferi patet hoc in flabra aquilonis
comminus et primo purgatur flamine uenti
tempore. tum proprium modulatur noctua carmen,
tum uespertinum cornix longaeua resultat,
tum corui crepitant et ouantes gutture rauco
agmina crebra uocant, tum nota cubilia laeti
succedunt pariter, tum pinnis corpora plaudunt.
Tunc et Strymonias circumuolitare repente
suspicies per aperta grues, ubi mitior annus
sponte procellosum disiecerit aera caelo.
tunc quoque, cum stellis hebes est lux omnibus ultro
nubila nec crassos circumduxere meatus,
ut iubar occulerent flagrantibus obuia flammis,
nec caligo inhibet rutilantis lampados ignis,

---

400 siue imum *Grotius* si nimum *A* ‖ amictus *e* amictu *A* ‖ 403 procumbentia *e* copum bretia *A* ‖ 404 caelo et Thetidi *A* caelo Thetidi *Grotius cf. Hermes XVI p. 134 n. 98* ‖ 405 pax aderit nusquam *e* pando anus quam *A* ‖ *post u.* 405 *lineam uacuam habet A* ‖ 406 clara *comm. Berolin.* castra *A* ‖ serena *e* sereno *A* ‖ 407 sub Ioue uenturae *e* subia uenentur *A* ‖ 409 referant *e* refrenent *A* ‖ 410 paruum *e* prauum *A* ‖ praesepe *v* praespecta *Ae* ‖ 412 hoc *e* hac *A* ‖ 413 molis *v* mollis *Ae* ‖ 415 comminus *correxi* cominus *Grotius* Cum minus *A* ‖ purgatur *e* purgantur *A* ‖ 416 tum *L* cum *A* ‖ proprium *Grotius* propior *A* proprio *L* ‖ *u.* 418 *om. A* ‖ 418 ouantes *L* ouantia *e* ‖ 419 tum *Le* uel *A* ‖ 420 pinnis *A* pennis *L* ‖ 421 Strymonias *Le* Strymonia *A* ‖ 422 aperta *A* arta *L* ‖ 426 occulerent flagrantibus *A* occurrent fraglantibus *L* ‖ 427 ignis *L* ignes *A*

orbe nec expleto sacra sidera luna retundit,
sed iam sponte sua stellarum lumina marcent:
conuenit hibernae praenoscere dura procellae.
nubila si caelo consistere, nubila ferri
sique superfundi sibimet suspexeris ultro,
gramina si carpit semesa petacius anser,
si nocturna tibi cornix canit, hesperus aethra
cum redit, innumero si cantu graculus instat,
si matutino fringuilla resultat ab ore,
si fugiunt uolucres raptim freta turbida Nerei,
orchilos infestus si floricomis hymenaeis
ima petit terrae, si denique paruus eritheus
succedit trepide scruposae concaua rupis,
Cecropias si pastus apes uicinus ob ipsa
castra inhibet florumque simul libamina maestae
proxima decerpunt, si Threiciae per aperta
sponte grues trepidant nec sese audacibus aethrae
committunt pinnis, ut longos saepe uolatus
formauere super, si soluit aranea casses,
tenuia si toto uehit auster licia caelo:
mox tempestates et nubila taetra cientur.
Quid? maiora canam! cinis en, cinis ipse, repente
cum coit, albenti nix terras uestit amictu.
nix operit terras, rutilis ubi lumina prunis
summa rubent errantque breui caligine crassae
interius nebulae et denso iam fomes in igni
marcescit penitus. pluuios mox arguet austros,

---

428 sacra sidera *Le* saes.. sydera *A* || retundit *L* recundit *A* || 429 stellarum *Le* stellas ut *A* || 430 dura *A* signa *L* || 432 suspexeris *Lv* suspexerit *Ae* || 433 gramina *A* tramina *L* || semesa petacius *v* se mens apetat ius *A* semensa petacius *Le* || anser *A* anfer *L* || 435 innumero *v* in numero *Ae* innumeres *L* || graculus *e* gracchulus *A* gragulus *L* || 436 fringuilla *e* pinguilla *A* frinquilla *L* || 437 raptim *A* rapti *L* || Nerei *Le* Nesei *A* || 438 hymenaeis *e* hymineis *A* || 439 petit *e* pete *A* || 440 trepide *scripsi* trepidae *Ae* || scruposae *e* sa ruposae *A* || rupis *e* puppis *A* || 444 grues *A* graues *L* || audacibus *L* audacius *A* || aethrae *Le* aethra *A* || 445 pinnis *A* pennis *L* longos *v* longus *Ae* longoȩ *L* || uolatus *A* uolatur *L* || 447 licia *e* litia *A* || 449 cinis en cinis *Grotius* cinis cinis *A* || 451 prunis *e* primis *A* || 452 breui *e* breues *A* || crassae *Grotius* crassa *A*

induit inmodicis cum semet floribus ilex.
indiga nam suci ligno natura rigenti est
et cum flore nouo, cum brachia glande grauantur,
uuentis caeli sibi nutrimenta latenter
sponte operata docet. quin et lentiscus amara
indicium est pluuiis. ter fetum concipit arbos
terque nouos genetrix fructus alit ipsaque trino
flore renidescens tria tempora prodit arandi.
ter prorumpentis scillae teres erigitur flos
sulcandique solum ter monstrat tempus adesse.
Sic et crabronum rauca agmina si uolitare
fine sub autumni conspexeris aethere longo,
iam uespertinus primo cum commouet ortus
uergilias pelago, dices instare procellas.
sique sues lentae, si lanae sedula nutrix,
si capra dumosis errans in saltibus ultro
in Venerem pergat, quippe ollis uuidus aer
excitat internum per uiscera mota furorem:
et tempestates et nubila protinus atra
adfore praecipies. quin et gaudebit arator
quique solum iustis uersabit mensibus anni,
plebe gruum prima, gaudebit tardus arator
agmine pigrarum: sic quadam lege deorum
his comes est imber. pecudes si denique terram
lanigerae fodiant, caput at tendatur in arcton,
cum madidus *primum* per marmora turbida condit
pliadas occasus, cum brumae in frigora cedit
frugifer autumnus, ruet aethra concitus imber.
at ne perruptis terrarum dorsa lacunis
infodiant pecudes, si uasto uiscera hiatu

455 inmodicis *e* immodicis *A* ‖ 456 suci *correxi* succi *A* ‖ 458 uuentis *e* huuentis *A* ‖ 460 ter fetum (foetum *e*) *e* terrę cum *A* ‖ 461 genetrix *correxi* genitrix *A* ‖ trino *e* trinos *A* ‖ 462 renidescens *e* reniscunt *A* ‖ 463 teres *e* tener *A* ‖ 465 uolitare *e* uolitasse *A* ‖ 466 autumni *e* auctumni *A* ‖ 469 si lanae *e* syllanae *A* ‖ 471 uuidus *e* huuidus *A* ‖ 474 adfore *e* affore *A* ‖ praecipies *v* percipies *A* praecipites *e* ‖ quin et *e* qui nec *A* ‖ gaudebit *e* gaudebis *A* ‖ 475 iustis *v* iusti *Ae* ‖ 477 sic *v* si *Ae* ‖ deorum *e* dearum *A* ‖ 478 terram *e* terra *A* ‖ 479 at *Grotius* aut *A* ‖ arcton *v* arcum *A* arctum *e* ‖ 480 primum *addidi cf. Hermes XVI p. 123 n. 72 om. Ae* ‖ 481 pliadas *e* Pleiadas *A* ‖ 482 autumnus *e* auctumnus *A* ‖ 483 at ne *v* Anne *A* An ne *e*

discutiant terrae, ueniet uis aethere toto
dira procellarum, nix omnis uestiet agros,
nix herbas laedet teneras, nix uret aristas.
at si contigerit plures ardere cometas,
inualidas segetes torrebit siccior aer.
nam quae prorumpunt naturae legibus ultro
spiramenta soli, si iustus defuit humor,
arida, per caelum surgentia, desuper aethrae
ignescunt flammis mundique inpulsa calore
excutiunt stellas et crebro crine rubescunt.
  Contemplator item: si longo plurima ponto
agmina festinant uolucrum solidamque frequentes
succedunt terram, sterilis desaeuiet aestus
ac sitient agri. nam qua circumflua tellus
adluitur pelago, coquit altas siccior aer
caespitis arentis uenas citiusque calorem
sentit humus succincta salo. fuga protinus ergo
est auium in terras, pauet, has ut uiderit, aestus
agricola et sicco iam deflet mergite culmos.
sed si tum modico producant agmina ab undis
nec trepido passim uersent conuexa uolatu,
laetitia est duris pastoribus, adfore parcos
praesumunt imbres. sic in contraria semper
uota hominis agimur nostrique cupidine fructus
poscimus alterius dispendia. denique et ipsa
sollers natura et rerum genitabilis ordo
certa suis studiis adfixit signa futuri.
namque et ouis cupido si gramina tondeat ore,
insaturata cibi, decerpens latius agros,

---

485 discutiant *v* Disijciant *A* Diſſutiant *e* ‖ 487 herbas *e* hęrbas *A* ‖ 488 ardere *v* ardore *A e* ‖ 490 prorumpunt *e* perrumpunt *A* ‖ 493 ignescunt *e* ignescent *A* ‖ 497 succedunt *e* succēdunt *A* ‖ aestus *e* aestas *A* ‖ 498 ac sitient *e* assicient *A* ‖ 499 adluitur *e* alluitur *A* ‖ siccior *e* sicior *A* ‖ 500 uenas *A* uentis *e cf. Hermes XVI p. 134 n. 99* ‖ 501 succincta *Grotius* sic cincta *A* ‖ 502 est *e* Festa *A* ‖ has *comm. Berolin.* hos *A* ‖ 503 deflet *e* deflęt *A* ‖ 504 si tum modico *v* si ĩmodico *A* ſi modico *e* ‖ ab undis *e* abundas *A* ‖ 506 adfore *e* affore *A* ‖ parcos *e* sarcos *A* ‖ 509 poscimus *e* Poscimur *A* ‖ 511 certa suis *e* certas uis *A* ‖ adfixit *e* affixit *A* ‖ 512 namque *correxi* nanque *A* ‖ ouis *e* vis *A* ‖ 513 insaturata cibi *e* insatus atacibis A

pastor id indicium pluuialis frigoris edet.
et si persultans aries lasciuius herbas
adpetat aut sese sustollant saltibus haedi
uel si iuge gregi cupiant haerere nec usquam
matribus abscedant et si sine fine modoque
pabula delibent, cum tutas uesper adire
conpellat caulas, monstrabunt adfore nimbos.
Bubus arator item trahit atrae signa procellae,
lambere si lingua prima hos uestigia forte
uiderit aut dextrum prosternere corpus in armum,
uel si prolixis auras mugitibus inplent,
pascua linquentes uix uespere. dat capra moti
rursum signa poli, cum spinis ilicis atrae
multa inhiat. docet haec eadem sus horrida caeno,
gurgitis inluuie si saepius inuoluatur.
Martius ipse lupus uillarum proxima oberrans
adfectansque locos hominum lectumque laremque
sponte petens crasso consurgere nubila caelo
praemonet. id parui cum stridunt denique mures,
cum gestire solo, cum ludere forte uidentur,
portendunt tibimet; canis id praesentiat, ultro
tellurem fodiens. tamen haec, tamen omnia rerum
adfore uel primo nimbos mox sole docebunt,
uel cum curriculis lux ibit coepta secundis,
tertius aut uerso cum uenerit ortus Olympo.
Non spernenda tibi sunt talia, sed memor uni
adde aliud semper; si tertia denique signa
proueniant, firmo uenturum pectore fare.

---

514 id *v* et *A om. e* ‖ 516 adpetat *Grotius* appetit *A* ‖ haedi *correxi* hoedi *A* hedi *e* ‖ 518 abscedant *v* ascendant *A* abscendant *e* ‖ 519 uesper adire *v* uespera dire *Ae* ‖ 520 conpellat *correxi* Compellas *A* Compellat *e* ‖ adfore *e* affore *A* ‖ nimbos *e* enim bos *A* ‖ 522 lingua *v* linguam *Ae* ‖ 523 aut *e* ad *A* ‖ in armum *e* ina pinum *A* ‖ 524 inplent *corr.* implent *A* ‖ 526 spinis *v* pinis *A* pinnis *e* ‖ 527 caeno *e* cena *A* ‖ 528 inluuie *correxi* illuuie *A* in luuiæ *e* ‖ 529 lupus *e* lusus *A* ‖ 530 adfectansque *correxi* affectansque *A* ‖ 531 petens *v* potens *Ae* ‖ 534 id praesentiat ultro *scripsi cf. Hermes XIII p. 362 n. 45* idi rentia adultis *A* id praefentia ultro *e* ‖ 536 adfore *e* Affore *A* ‖ 539 talia *v* alia *Ae* ‖ 541 pectore *e* peccat ore *A*

et transactorum sollers conponere mensum
signa laborabis; si confluxere reperta,
nequaquam trepidare pudor persuadeat ullus.
astrorum lapsus, astrorum protinus ortus
discute, si casus similis et stella per aethram
prodidit. exacti iam summa crepuscula mensis
et surgentis item primordia conscius artis
fare sacrae. mensum confinia summa duorum
caeca latent. lucis haec semper semet in octo
inscia lunaris tendunt facis: ipsa fideli
perquires studio et siquid tibi forte repertum,
pluribus indiciis sollers fulcire memento.

---

542 et transactorum *v* Errans actorum *A* E tranſactorum *e* || mensum *e* [p mensium] mensum *A* || 543 si confluxere *Grotius* si sic fluxere *A* || 544 trepidare *e* trepida *A* || pudor *e* pudor at *A* || ullus *Grotius* ullos *A* || 549 sacrae *e* sacre *A* || mensum *e* [p mensium] mensum *A* || 552 perquires *A* perquire *L* || tibi *v* sibi *ALe* || *post uersum* 554 *duabus lineis uacuis interiectis* Ruffi Festi Aratus explicit. Incipit eiusdem orbis terrę *A* RVFI FESTI ARATVS EXPLICIT INCIPIT EIVSDEM ORBIS TERRAE FELIX *e*

